

# La Pancarte Noire de Saint-Martin de Tours, brûlée en 1793, restituée d'après les textes imprimés et manuscrits, Nr. 124

Calixtus episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiis Beati Martini Turonensis ecclesiae canonicis, tam praesentibus quam futuris, apostolicam benedictionem.

Cum universis Ecclesiae filiis debitores ex apostolicae sedis auctoritate ac benevolentia existamus, illis tamen locis atque personis, quae specialius Romanae adhaerent Ecclesiae propensioris nos convenit affectionis studio imminere. Ea propter, filii in Christo charissimi, vestris petitionibus annuentes tanto libentius Beati Martini ecclesiam in qua omnipotenti Domino deservitis protectione sedis apostolicae communimus, quanto amplius locus idem et beatissimi confessoris Christi corpore insignis habetur, et ad jus Romanae cognoscitur Ecclesiae pertinere, quidquid igitur libertatis, quidquid immunitatis, quidquid beneficii et honoris eidem ecclesiae vel per antecessorum nostrorum Adeodati, Leonis, Adriani, Sergii, Gregorii, Paschalis Romanorum pontificum privilegia, vel per Turonensium archiepiscoporum Crotberti, Ibonis et Airardi scripta, vel per regum praecepta collatum est, per praesentis privilegii paginam vobis vestrisque successoribus, et per nos praedictae Beati Martini ecclesiae confirmamus, statuentes ut claustrum vestrum usque ad muri cuneos liberum quietumque permaneat, sicut hactenus cognoscitur permansisse. Presbyteri quoque infra ecclesiae ambitum in cellulis, in oratoriis vestris, in ecclesia Sancti Venantii, et in capella Sancti Petri quae de Cardoneto dicitur commorantes, in ea qua praeteritis temporibus mansisse noscantur, libertate permaneant. Porro burgum, et alia omnia quae in Ludovici regis scripto continentur, ecclesia Sancti Pauli Cormoriacensis, ecclesia Sanctae Mariae de Bellomonte, ecclesia Sancti Cosmae cum appendiciis earum, et caetera omnia quae vel in praesenti legitime possidetis, vel in futurum largiente Domino juste poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata serventur. Nulli ergo omnino hominum liceat eandem ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, aut ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Chrisma, oleum sanctum, ordinationes canonicorum, qui ad sacros fuerint ordines promovendi, a Turonensi accipietis archiepiscopo, si quidem gratiam atque communionem apostolicae sedis habuerit, et si ea gratis ac sine pravitate voluerit exhibere; alioquin liceat vobis catholicum quem malueritis adire antistitem, et eadem ab eo sacramenta suscipere. Sane canonicus vester si Ecclesiarum archiepiscopi canonicus fuerit, beneficio abdicato, excommunicandi eum archiepiscopus non habeat facultatem. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem ecclesiae justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructus bonae actionis percipiant, et apud districtum iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Ego Calixtus catholicae Ecclesiae episcopus.

Datum Romae per manum Grisogoni sanctae Romanae Ecclesiae diaconi cardinalis ac bibliothecarii, III Kalend., Incarnationis Dominicae 1119, pontificatus autem domni Calixti secundi papae anno primo. Ego Calixtus Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Datum Romae per manum Grisogoni sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis ac Bibliotecaris 3. Kalend. Incarnationis Dominicae M.C.XVIII. Pontificatus autem Domini Calixti secundi anno primo.